

invocatio coelicolarum, Sanctorum communionem; festum Nativitatis Christi, Incarnationem; etc. etc...

3° Ex liturgiis seorsim sumptis, praeferendae sunt Occidentales Orientalibus quae ab haereticis interpolatae fuerunt, et, ob schisma et ignorantiam Graecorum, depravatae; inter Occidentales, praevalet Romana.

QUAESTIO V<sup>a</sup>

Ex quibus praecipue monumentis fides Ecclesiae legitime concludatur?

36. Resp. Dantur testimonia quae, licet ab Ecclesia docente formaliter et immediate non procedant, ejusque ideo fidem authentice non exprimant, ad hanc tamen fidem certo cognoscendam plurimum inserviunt. Sunt autem praecipua: 1° scripta Patrum, 2° libri theologorum, 3° acta martyrum, 4° doctrina ipsa haereticorum, 5° monumenta proprie non scripta, 6° sensus populi christiani.

I. DE SCRIPTIS PATRUM.

37. 1. Pater Ecclesiae quis sit?

Nomine *Patrum Ecclesiae* veniunt qui his gaudent quatuor conditionibus: 1° eminentia doctrinae, 2° sanctitate conspicua, 3° antiquitate notabili, 4° Ecclesiae designatione: quae ultima conditio tres priores supponit, et ideo sufficit. Notare tamen juvat, quoad tertiam, periodum Patrum non infra sancti Bernardi aetatem protrahi.

Patres Ecclesiae distinguuntur ab iis qui vocantur simpliciter Scriptores ecclesiastici, imo et a doctoribus. *Scriptores ecclesiastici* ii sunt qui doctrina et

antiquitate gaudent, sed carent eminenti sanctitate; v. g. Tatianus, Tertullianus, Origenes, Arnobius, Lactantius, etc.; *Doctores Ecclesiae* nuncupantur illi quibus, ob doctrinae specialem praestantiam, Ecclesia hunc titulum adjudicavit, sed qui nonnunquam inter recentiores numerantur, v. g. S. Franciscus Salesius et S. Ligorius. Hinc quis Sanctus, potest esse simul Pater et Doctor Ecclesiae; sed non omnis Doctor est Pater Ecclesiae.

38. II. Quanti valeant scripta Patrum ad Ecclesiae fidem manifestandam?

Quando Patres loquuntur ut *doctores privati*, seu, tanquam proprii ingenii placita tradentes, etiam circa doctrinam sacram, reverentia sane digni sunt, nec leviter ab eis est recedendum, ubi reperiuntur unanimes moraliter; sed non sunt tunc habendi uti certum Traditionis transmittendae medium; ratio patet.

Quoties autem loquuntur ut *testes*, seu, tanquam referentes doctrinam in Ecclesia suo tempore vigentem, et sunt moraliter unanimes, doctrinam Ecclesiae certo manifestant, et ideo eorum auctoritas est irrefragabilis. Porro id constat, et auctoritate et ratione.

a) *Constat auctoritate.*

Concilia enim generalia, necnon Pontifices Romani, in dirimendis controversiis, consueverunt respicere ad unanimum Patrum consensum, quasi ad normam necessariam ac tutam. Sic, Conc. Eph. (Act. 1) dicit: « Divinitus placuit nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuerit auctoritas ». — Conc. Nic. II (Act. 1) anathematizat: « qui doctrinas sanctorum

« Patrum et Ecclesiae Traditionem contemnunt ». — Conc. Trid. (loco jam citato) prohibet, ne quis Scripturam sacram, contra unanimum sanctorum Patrum sensum, interpretari audeat. Et hoc renovatur a Conc. Vatic. — Pius IX, damnando libros Guntheri (in suo Brevi ad Ep. Wratislav. 30 Martii 1857), illum vituperat eo quod « neque satis intellexit, quantopere « deferendum sit venerandae sanctissimorum Patrum « auctoritati, et quo studio cavendum ne, profanae « novitatis amore, tuta illorum vestigia deserantur, « et gravissimi diffundantur errores. »

b) *Constat ratione.*

Quaenam sit vera Ecclesiae doctrina, nulli certius testari queunt, quam illi qui, in hac Ecclesia, specialiter ejus doctrinae investigandae, docendae, propagandae ac vindicandae incumbunt; et, ubi sunt moraliter unanimes, nullus de tali facto relinquatur dubitandi locus. Haec enim unanimitas aliam non potest habere causam, nisi quod Ecclesia ita vere sentiat; secus, dicendum esset Patres in hujusmodi errore facti conspirare: quod prorsus incredibile est. Vel enim conspirassent in bona fide, vel in mala. Prius repugnat eorum ingenio et diligentiae in dogmatibus Ecclesiae addiscendis; posterius cum eorum zelo in veritatis juribus tuendis, necnon eminenti sanctitate minime conciliatur; et, in utraque hypothese, explicari nequit quomodo in iisdem dogmatibus Ecclesiae falso attribuendis inter se consenserint.

**39. III. Quomodo constet Patres loqui tanquam testes Traditionis?**

Illud patet: 1° ubi verba adhibent fidei professionem exprimentia; v. g.: *credimus, credit Ecclesia*;

2° ubi aliter sentientes notant tanquam haereticos; 3° ubi, in suis catechesibus, vel sermonibus ad plebem, proponunt aliquid ut necessario credendum; 4° ubi in suis operibus dogmaticis, moralibus, polemicis, nituntur exponere Scripturae sensum a Spiritu sancto intentum et ab Ecclesia agnitum. At, non sunt tanti ponderis in suis operibus exegeticis, quando allegorice et modo oratorio loquuntur.

**40. IV. Quomodo constet Patres, in rebus fidei et morum esse moraliter unanimes?**

1° Moraliter consensus Patrum Occidentalium dat moralem certitudinem de Orientalium consensu. Cum enim consensus Occidentalium importet assensum R. Pontificis, qui est unitatis centrum, et errorem apud episcopos circumstantes praevalere non sineret, eo ipso habetur certe assensus Orientalium, qui cum centro unitatis semper se conjunctos profitentur.

2° Infertur etiam illa unanimitas ex testimoniis plurium, doctrina ac fama insignium, qui diversis aetatibus floruerunt, et adversus quos caeteri Patres non reclamant. Nisi enim tunc veram Ecclesiae doctrinam profiterentur, nec inter se concordarent, nec alii a reclamando abstinere. De caetero, Deus ipse id non permetteret, quia, secus, in universa Ecclesia mox praevaleret error.

3° Etiam ex paucorum Patrum testimoniis, nunquam eadem infertur unanimitas, ratione, scilicet, circumstantiarum; v. g. ubi unus contra insurgentem errorem dimicat, et quidem palam et nemine reclamante; a fortiori, si alii plaudant et gratulentur; — ubi pauci aliquid docent ut necessario credendum, et id faciunt publice, caeterique non reluctantur; — ubi

unius aut paucorum scripta ab aliis sunt approbata, aut ea sua fecerunt; a fortiori si aliquod scriptum, tanquam regula fidei, a Papa aut Concilio oecumenico receptum fuerit, uti epistola S. Cyrilli ad Nestorium.

## II. DE LIBRIS THEOLOGORUM

41. 1° Theologi dicuntur ii qui materias theologicas tractant Scholasticorum more. Habendi sunt veluti catenae traditionalis a Patribus incoepatae continuatio.

2° Quando loquuntur simpliciter ut *doctores*, proprii ingenii foetus emittentes, vel ut testes quidem doctrinae quam tenet Ecclesia, sed non sunt moraliter unanimes, non plus valent ad faciendam fidem, quam argumenta ab eis allata. Et ideo, si quis pro se paucos, sed graves theologos habeat, poterit adversus plures stare, ubi priorum argumenta ei videntur validiora.

3° Quando loquuntur ut *testes*, et asserunt unanimiter aliquid esse de necessitate credendum, concludendum est talem revera esse doctrinam Ecclesiae. Etenim, theologi ex officio doctrinam catholicam investigant, eamque ex Patribus et variis Traditionis monumentis conantur eruere; insuper, scholae theologicae sub Ecclesiae tutela institutae sunt, quae sedulam super eas exercet vigilantiam; eo magis quod ab huiusmodi scholis, fideles et imo pastores ipsi doctrinam haurire soleant. Ergo, si unanimiter declarando quid necessario tenendum sit, errarent, Ecclesia id non posset tolerare, ne brevi omnium fidelium mentes errore inficerentur. Et confirmatur experientia: de facto, nulla doctrina proposita est unanimiter a theologis tanquam certa et necessario tenenda, quae postea damnata fuerit ac debuerit retractari.

Si quandoque assertiones quaedam communiter a theologis admissae, postea rejectae fuerint, non erant nisi opiniones quas respuere cuique licebat.

## III. DE ACTIS MARTYRUM

42. 1° Illa acta sunt scripta in quibus narrantur responsa, preces et exhortationes quas martyres, sive coram tribunalibus, sive inter supplicia protulerunt.

2° Haec martyrum acta, supposita eorumdem veracitate historica, pretiosum fidei Ecclesiae testimonium subministrant; quia 1° martyres hanc profitebantur fidem, quam audierant a pastoribus, et quae sane vividius fuerat ipsis inculcata, siquidem pro ea mori non dubitarent; 2° eorum acta legebantur publice in ecclesiis, adstantibus praesulibus; 3° illi martyres, praecise ob dogmatum confessionem, cultu publico honorabantur. Atqui haec omnia satis ostendunt fidem quam martyres sic profitebantur fuisse genuinam fidem Ecclesiae.

## IV. DE DOCTRINA HAERETICORUM

43. Vel considerantur dogmata haereticis et Catholicis communia, vel dogmata ab haereticis impugnata.

1° Considerando dogmata quae nobiscum retinuerunt, merito concluditur illa credita fuisse ab Ecclesia tempore suae separationis; quia, nec dogmata illa ab eis Ecclesia accepisset, nec haeretici haec ab ea post suam separationem accepissent.

2° Considerando dogmata ab haereticis impugnata, et propter quae recesserunt vel rejecti sunt, merito etiam concluditur, illa fuisse, tempore suae separatio-

nis, ab omnibus vere Catholicis admissa. Unde, quo antiquiores sunt haeretici, eo illustrius testimonium praebent de veritatibus quas id temporis Ecclesia profitebatur.

V. DE MONUMENTIS NON PROPRIE SCRIPTIS

44. Haec monumenta constant artefactis primaevae Ecclesiae, in operibus adhuc superstantibus, qualia sunt : inscriptiones, numismata, picturae, sculpturae, aedes sacrae, altaria, utensilia cultus, etc. Porro in his omnibus legere est, quam tenuerint fidem illi a quibus erecta et confecta sunt. Unde, quoties in iisdem dogmatibus supponendis universaliter conspirant, sunt argumentum certissimum, v. g. lapides in quibus perhibentur infantes recentes baptizati, probant validum esse infantium baptisma ; multa afferuntur de Petri primatu, de reali praesentia, de sacrificio, de precibus pro mortuis, etc.

VI. DE POPULI CHRISTIANI SENSU

45. Communis sensus fidelium, in rebus fidei et morum quarum expressa cognitio ad omnes pertinet, est legitimum ac certum divinae Traditionis criterium. Etenim, si omnes fideles circa hujusmodi res fallerentur, jam non obtineretur finis magisterii a Christo instituti, ac deficeret Ecclesia. Praeterea, hi errores, semel ac propagarentur, non possent Ecclesiae docentis vigilantiam effugere ; quae statim reclamaret, et jam error non communis evaderet.

Dixi : *in rebus fidei et morum quarum cognitio expressa ad omnes pertinet*. Sunt enim aliquae res, quas cognoscere non rudium et imperitorum in Eccle-

sia, sed majorum ac sapientum est. Quo in genere, si vulgarem plebis sententiam roges, perinde erit ac si a caeco sensum colorum postulares, v. g. interrogando de materia et forma Ordinis. Et revera, fideles circa talia interrogantibus nihil haberent respondendum, nisi se credere et sentire quod Ecclesia credit et sentit ; non enim de iis edocentur a pastoribus ; et ideo eorum sententia, etiamsi aliqua daretur unanimis, nequaquam haberi potest ut sententia Ecclesiae infallibiliter docentis.

QUAESTIO VI<sup>a</sup>

Qualiter argumento Traditionis utendum sit in theologicis disquisitionibus ?

(Vide Mazella : *de Rel. et Eccl. n. 384... 387.*)

46. Resp. Theologus uti potest argumento Traditionis, vel ad convincendos Catholicos, seu, illos qui magisterium infallibile Ecclesiae agnoscunt, vel ad convincendos extraneos, qui christianam quidem revelationem suscipiunt, sed hanc extra magisterium Ecclesiae haurire volunt.

I. DE TRADITIONIS USU AD CONVINCENDOS CATHOLICOS.

47. Cum Catholici omnes agnoscant existentiam et auctoritatem Traditionis divinae, ut argumento Traditionis de aliquo dogmate convincantur, sufficit ostendere illud dogma divina Traditione fulciri, id est, ab Ecclesia docente accipi tanquam divinitus revelatum. Traditio autem divina duobus potissimum characteribus dignoscitur, scilicet : universalitate et antiquitate.

1° Quoties in favorem dogmatis afferri potest Traditio universalis Ecclesiae, nihil amplius requiritur ad certitudinem gignendam. Illa enim Traditio universalis in eo consistit, quod hic et nunc universa Ecclesia aliquid teneat ut necessario credendum; quod constat, vel aliqua sententia doctrinali quam suprema Ecclesiae potestas protulit, et ideo necessario omnium fidelium obsequium obtinet, vel magisterio ordinario pastorum per orbem dispersorum. In utroque casu, universalitas Traditionis est pro Catholico argumentum ineluctabile. Imo, ex hac Traditionis universalitate, logice concluditur ad ejus antiquitatem; quia nullum novum dogma, temporum decursu, deposito revelationis publicae adjicitur; et ideo, quod hodie ab omnibus creditur, omni tempore implicite saltem creditum fuit, nec inveniri potest in saeculis praeteritis Ecclesiam aliquid tenuisse ut necessario credendum, quod ejus fidei actuali contradicat.

2° Ubi autem, nec ullo judicio doctrinali, nec ordinario Pastorum in orbe dispersorum magisterio, de alicujus doctrinae universalitate certo constat, concludendum est hanc nondum ad fidem catholicam pertinere; et, ut illius demonstratio extra Scripturam sacram obtineatur, interrogandi sunt varii Traditionis testes, insistendo potissimum conciliorum ac Romanorum pontificum decretis, necnon primitivae Ecclesiae monumentis; ex quibus conficietur argumentum, aut certum, aut plus minusve probabile. Sed nunquam obliviscendum est, Ecclesiae docenti competere jus et officium infallibiliter judicandi de existentia et sensu divinarum Traditionum.

II. DE TRADITIONIS USU AD EOS CONVINCENDOS QUI  
ECCLESIAE MAGISTERIUM REJICIUNT.

48. Contra hujusmodi adversarios, argumentum Traditionis non valet nisi tanquam argumentum auctoritatis, aliunde quam ex Scripturis, aut Ecclesiae magisterio desumptum. Recurrendum igitur erit ad varia testimonia in praecedenti quaestione memorata, ea considerando tanquam historice certa, atque humana fide dignissima. Illorum ope demonstrandum erit, quid variis temporibus crediderit Ecclesia; et deinde, per ratiocinationem philosophicam, ex hoc facto concludendum erit doctrinam, sic ab Ecclesia variis temporibus creditam, esse partem revelationis christianae. Ut autem haec ratiocinatio legitime concludat, duplex methodus adhiberi potest, nempe: discussio, et argumentum quod dicitur praescriptionis.

1° De via discussionis.

Methodo discussionis utens, varia variorum saeculorum testimonia colligat necesse est, retrogradiendo a recentioribus ad antiquiora, atque ostendat talem Traditionem ex visceribus nascentis Christianismi ortam, neque posse repelli, quin Christianismus ipse rejiciatur. Haec via sane est longior ac difficilior.

49. 2° De argumento praescriptionis.

Brevius et clarius est argumentum praescriptionis, quo jam pluries usi sumus in tractatu *de Ecclesia*, et cujus natura et vis paulo latius nunc sunt explananda.

In eo consistit hoc praescriptionis argumentum, ut, stabilito semel talem doctrinam tali tempore ab Ecclesia universali creditam esse, inferatur ejusdem doctrinae origo ab Apostolis aut a Christo. Argumentum

illud plenum ac invictissimum robur suum habet, pro veritatibus majoris momenti, quae sunt creditu difficiles, aut secum trahunt onerosa consectaria; v. g. : praesentia realis, praeceptum divinum confessionis. Vis autem probationis reponitur in impossibilitate quod hujusmodi dogmata, a Christi et Apostolorum temporibus, ab aliquo novatore introducta fuerint. Quae impossibilitas demonstrari potest, et positive, et negative.

*Positive* demonstratur introductionis hujus impossibilitas tribus obstaculis insuperabilibus :

*1<sup>um</sup> obstaculum* ex adhaerentium numero. — Difficile est homines innumeros in eodem profitendo errore conspirare unanimiter, ubi loco, lingua, moribus et praejudiciis aliunde sunt divisi. Quod enim ab uno, absque ullo jure, asseritur, eodem jure a caeteris rejici aut immutari solet; et insuper, unusquisque errorem propriae indoli, [propriisque praejudiciis atque cupiditatibus libenter accomodat. Jam vero Catholici, apud quos error supponitur unanimiter praevaluisse, sunt innumeri, loco, lingua, moribus, disciplina valde dissiti, et [quandoque etiam sibi invicem plurimum infensi. Sic, v. g. Orientales sectae a Romana Ecclesia avulsae cum ea tamen in multis consentiunt.

*2<sup>um</sup> obstaculum* ex natura doctrinae. — Est enim, uti supponimus, magni momenti, cupiditatibus non favens, in praxi onerosa, aut saltem creditu difficilis. At a tali doctrina mens naturaliter refugit, nec huic assensum praebet, nisi evidentia motivorum convincatur. Quid ergo si in ea firmiter tenenda conveniunt omnes Catholici super universum orbem dispersi! An

supponere liceat defectum serii examinis, aut, habito hoc maturo examine, omnes, vel rationes dubitandi non perspexisse, vel, non obstantibus his rationibus, noluisse reclamare?

*3<sup>um</sup> obstaculum* ex indole Ecclesiae catholicae. — Loco axiomatis, apud Catholicos omnes, semper viguit illud principium : retinendam, scilicet, esse fidem semel traditam, omnemque procul amovendam novitatem, tamquam religionis salutisque perniciem. Hinc ingens illa, universalis et perpetua sollicitudo, ne ullus episcopus eligeretur, quin prius de ipsius fidei sinceritate indubiis testimoniis constaret, sedulumque studium ne in diptychis singularum ecclesiarum describerentur nomina episcoporum, qui defectionis a fide aut communionem Ecclesiae suspecti essent. Si quandoque aliqua novitas serpere deprehenderetur, episcoporum erat, non solum eam comprimere, sed etiam certiores reddere caeteros mundi episcopos, et praesertim Romanum Pontificem, ut illico praestaretur remedium efficax, tum epistolis, tum decretis, tum scriptis polemicis, tum anathematibus, tum conciliis.

Quibus adde, nunquam defuisse in Ecclesia pastores, doctores et fideles innumeros, amore et studio catholicae veritatis omnisque novitatis detestatione insignes, qui parati erant suam fidem, martyrio sanguinis vel aerumnosae confessionis, sigillare. Hi viri sanctitate, ingenio, doctrina et zelo praestantissimi, omnes suas curas constanter contulerunt, et omnia adhibuerunt media ad traditae sibi doctrinae incolumitatem.

Quibus omnibus spectatis, sub communi etiam Dei Providentia, veritatis Apostolicae mutatio aut corruptio moraliter impossibilis apparet. Ergo, posita uni-

versali Catholicorum fide in aliquem doctrinae articulum, majoris momenti, in praxi onerosum aut creditu difficilem, jam constat *positive* hunc non potuisse fraudulenter, temporum decursu, introduci.

*Negative* idem demonstratur, eo quod adversarii clara et certa praetensae innovationis vestigia non valeant ostendere.

Etenim, supponere non licet omnes orbis catholici ecclesias, uno et eodem instanti ac quasi ex conducto, priorem deseruisse fidem, ut in eundem errorem convenirent; unde factum esset ut tali tempore et tali loco error pervulgari coeperit, mox alias invaserit regiones, dein grassatus fuerit in pluribus, et tandem universa completa fuerit apostasia. Jam vero, quomodo erroris hoc modo propagati historiam nullus texere susceperit; nullus indicare ejus auctores, tempus, circumstantias, progressus; nullus enarrare quibus mediis, machinationibus, fallaciis, conatibus, deceptionis venenum propinatum fuerit; quaenam ecclesiae seductae sint primae, quaenam e contra diutius ac firmius in antiqua fide perstiterint?

Illud eo magis videtur incredibile, quod talis deceptio ingentes suscitare debuisset reclamaciones. Reclamassent pastores fidei deposito cum tanto studio vigilantes; nec tacuissent tot doctores, tot religiosi, tot sacerdotes, quos omni aetate videmus pro tuenda veritate tam strenue decertantes. Imo, quot fideles simplices resistere non omisissent! Nonne etiam insurrexissent minus devoti, cum ageretur de dogmate passionibus oneroso et creditu difficili?

Confirmatur historia omnium haereseon, quae vehementibus occasionem dederunt tempestatibus, po-

pulorum annalibus prolixè memoratis. Omnes norunt quam celebres commotiones, simplex quaestio de die celebrandi Pascha, in universo suscitaverit orbe. Quanto majores et celebriores suscitare debuisset, v. g. introductio dogmatis de reali praesentia, aut de praecepto divino confessionis! Deficientibus ergo certis et claris vestigiis innovationem doctrinae probantibus, necessarium est concludere, dogma aliquod magni momenti et difficile creditu, ab universa Ecclesia aliquando pro certo admissum, venire ab Apostolis.

## DISSERTATIO TERTIA

DE RATIONE NATURALI, UT EST LOCUS THEOLOGICUS  
SECUNDARIUS

(Vide Mazella : *De virt. inf. n. 1011...1085.*)

50. In duplici quaestione breviter dicendum erit :  
1° de recto rationis usu; 2° de ejusdem abusu in sacrae theologiae studio.

### QUAESTIO I<sup>a</sup>

Qualis esse possit aut debeat rationis naturalis  
usus in sacra theologia?

51. Resp. Dico 1°. *Ratio naturalis ad doctrinam fidei stabiliendam utilis et necessaria est.*

1° Antequam doctrina fidei stabiliatur, necesse ut demonstrentur et explanentur principia religionis